



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

7. Hermannus Josephus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

verent Ave Maria, solerter invigilavit, quin & suaviter persuasit. Fili! an hoc non est ex ore infantium, & lactentium perficere laudem, & gloriam Mariæ? Idipsum possumus & nos. Possumus verbo & exemplô. Væ scienti bonum, & non facienti!

Instructio meritoria.

Rosarium cum Cursu Mariano in omni devotione, modestia, & attentione persolvamus, & ad quamlibet decadem decies exosculabimur terram cum dicto: *Laudetur centies millies Nomen, & Gloria Mariæ!* O sacratum os!

Festum S. Hermanni Josephi
ex S. Ordine Præmonstratensium,
Clientis Beatissimæ Virginis
addictissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! etiam Mariæ sunt deliciae esse cum filiis hominum. Maria cum Hermanno agebat quàm familiarissimè. Oranti Jesulum tradidit: phlebetomone brachium offenderet, astitit: infirmum pro sanitate remedia docuit. O
quan-

quanti hi amores! meruit vitæ sanctitate, & morum innocentia. O si & nobis in deliciis foret!

Instructio meritoria.

Amore Mariæ unam, vel alteram vanitatis mundanæ fugiamus occasionem, & hujus locò in templo, vel cubiculò veneremur Mariam *Officiò Immaculate Conceptionis*. Oleum hîc latet, quò nostros inungamus sensus, & naturam corruptam.

II.

Quoties Nomen pronuntiavit Mariæ, mirâ dulcedine! & animæ perfundebatur lætitiâ. Ista negantur iis, qui tantæ matris aut rarò, aut nunquam recordantur. Fili! qui sapit cordi tam Augustum, & dulce Nomen? Trahe nos ò Maria! torpentes, ut reddas ardentes!

Instructio meritoria.

Trahet ò fili! si hodie linguam, & os speciali pacto Beatissimæ Virgini consecremus; ne verò alia proferamus verba, quàm salutis, & divinæ gloriæ, quinque psalmos recitemus exprimen-

296 VII. Aprilis. S. Hermanni Josephi.
tes quinque initiales litteras SS. Maria-
ni Nominis. Si Mater sum, honorem,
& amorem expecto.

III.

PAuperi Hermanno sub lapide submi-
nistrat Maria, unde suis occurrat ne-
cessitatibus. O dilecte! cur ita solliciti de
cura corporis? Confidamus Mariæ, pete-
mus à Matre tum corpori, tum anime
necessaria. Amat Maria eos, qui cum
ipsa familiariter de suis colloquuntur mi-
seriis. Maria est omnium hominum
Mater geniturâ & curâ, quia unum ho-
minem genuit, per quem omnes recrea-
vit, seu regeneravit. S. Antoninus.

Instructio meritoria.

Cnsuetudinem tam sanctam, quam
opportunam ut contrahamus, à mane
& meridie coram sacra quadam icone
flectentes, *tria Pater & Ave cum Credo*
per solvamus, additâ & illâ sui commen-
dationis formulâ : *Sub tuum presidium*
confugimus : & oratione : Concede nos
famulos tuos. Mendici sumus; oportet,
ut pulsemus. Ubi? In corde Mariæ.
Cla-

Claves sint sancti mores, & pura conscientia.

Festum S. Wicterpi Augustæ
Vindelicorum Doctoris, & Episcopi.

EXHORTATIUNCULA I.

Discamus, ô fili! quid debeamus Mariæ. Huic cum corde se totum dedit Wicterpus, nec hoc contentus, addidit & fundum pro ædificanda Mariana Basilica. Templum si struere non valeamus ex lapidibus, matri saltem struamus ex piis devotionum, & pietatis affectibus. Et id nunquid impossibile? Absit? Amanti suavia sunt omnia.

Instructio meritoria.

Si quod nobis altare in cubiculo, hodie ornemus, & si nulla in eo Beatissimæ Virginis affixa S. Imago, inferamus, & aræ imponamus cum hymno: *Ave Maris stella: Et Salve Regina.* In ore, & manibus probatur amor Mariæ.

II.

Fili! nec in morte dimittit Maria, qui eam teneriùs dilexit per vitam. Wicterpi tumulum aliò transferri voluit

N 5

ho-